Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute


https://archive.org/details/oratioinadventvs00pari

13.

ORATIO
IN ADVENTV
SERENISSIMÆ. ARCHIDVCIS MARIAE MAGDALENAE AVSTRIACAE SERENISS. COSMO MEDICEO Magno Tuſcorum Principi nuptæ

A Laurentio Pariſio Art. Med. q; Doct. & Ciue Florentino in ſummis AEdibus tanquàm habenda XV. Cal. Nou. M.D.CVIII.

Ad Illuſtriſsimum Concinum Concinium.



Florentiæ, Apud Franciſcum Toſium, Superiorum Permiſſu.

ILLVSTRISSIMO DOMINO
CONCINO CONCINIO
Ex Comitibus Pennæ, ex Nobilibus Tallæ, Christianissimæ REGINÆ MARIÆ Consiliario, & Equitatus Præfecto.

Laurentius Parisius. S.P.D.



ON me solum ratio, sed Rodrigi Alidosij Castri Riui Domini gratiosi Sororij tui, & honore, & nomine viri illustrissimi tanta voluntas impulit, vt in eius etiam cupiditatem hanc orationem in Mariæ Magdalenæ Austriacæ aduentu, regio apparatu, omniquè ornatu acceptæ, ocyus habui, nec me inscientia mea deterruit, nec aliorum conciones, nec poemata tàm concinna, tàm distincta, tàm ornata, tàmquè festiua, vt nihil sapientius, nihil argutius, à tàm magno onere auocarunt, si quidē memet etiam optimi ciuis munus induxit. Tu enim probe nosti, mi Concine, in arte medendi Florentinos Medicos quàm longè procedere, me verò omnibus inferiorem; inter hosce tamen optimæ conditionis esse, maioresquè natu meos non exigua munera (licet de hoc hæsitent nonnulli) omni laude, reiquè publicæ dignitate gessisse, sed magnificentissimè Laurentiū Auum meū, qui Burgi Sancti Sepulchri, & Aretij Arcibus per an

nos

nos quinque supra viginti præpositus fuit: iccirco mihì (inquam) non obscuro loco nato maior, quàm his inuidis huiusmodi laudandi necessitas imponitur. Verùm cùm hæc oratio, quantumuis impolita, nec vllo artificio elaborata publicam lucem, Rodrigo suadente, aspicere debeat, tuo nomini dicatam esse volui. Nonne hoc tibi Mæcenati à me debetur totum, tuorum, maiorumque beneficiorum sempiterna memoria valdè deuicto? cùm de me, patriisquè rebus cogitandi ab omnibus vnquàm prætermissum fuerit nullum, à magno autem Cosmo fratre tuo, & compatre meo sanctæ record:, & à te maximè. Tu enim benificentiam, & liberalitatem ita colis, ne vlli locum concedas. Neminem à te vacuum (fas est iacentem erigere) vnquàm abire pateris. Fortunæ bona sic tenes, magis vt nullus. Hanc nemo superabit, quoniam animi tui firmitas, præstantia, atque sublimitas illam semper accumulabunt. Laus ergò liberalitatis, cæterarumquè virtutum vni maximo Concino debetur maximè; ideo apud Christianissimam Reginam Mariam in magno honore, ac præcio es. Tu Consiliarius, Tu Equitatus Præfectus, Tu acceptus, Tu intimus, Tu isti Maiestati charus, atquè iucundus. Cùm autem iure optimo summæ tui nominis dignitati hæc oratio inscripta sit, eam quæso à maleuolis defende, & amplissimo sinu tuo me excipe, ale, & foue, vt facis.

Vale Florentiæ. XIII. Cal. Nou. M.D.CVIII.

Alexandri Mellini I. C. Pistoriensis

Reddidit ut medica Laurentius arte perennes
Sæpe viros pariter reddidit eloquio.
Si mortalis erit, Cosmi præconia laudum
Efficient ipsum nunc superesse diu.

Nicolai Villanij Pistoriensis.

Austriacæ Mariæ, magnorumquè ampla parentum
Laurenti breuibus das monumenta notis.
Laus tibi sit, quoniam extenuas mirè ampla, sit illis
Qui præstant doctis extenuanda viris.

Mathæi Rossei Pistoriensis.

Clarus in Hippocratis, Laurenti, dogmate, magnæ
Concelebras docto Principis ore, genas
Ipse sapis Phæbea haud fidens arte, superstes
In Mariæ Austriacæ nomine semper eris.

Incerti.

Præuia nobilitas comes intemerata Diana
Et formosa Venus, sic sine labe Charis.
Si quæ Deæ gressu nuptam comitantur euntem,
Ad sunt atquè animis, quam decuit meritam.
Huic ortæ Austriadum claro de sanguine Regum
Inuidia maior gratia, forma, decus.

ORATIO.



ONGE equidem Augustissima Sponsa, valde operoso muneri mihi hodierna die iniuncto, multis profectò rationibus imparem me esse intelligo; nulla siquidem in me facundia, nulla verborum, nulla sententiarum dignitas, nulla tandem grauitas: omnes enim inscitia vinco; inde factum est, vt diu impositum munus renuerim, veruntamen valuit iubentis autoritas, quem mirificè diligo, vt vel me ipso demum maiora adoriri, atque audere præsumpserim superbè obtemperare, quàm humiliter, ac demissè iussa renuere satis existimās. Nonne etiam qui egregium facinus aggreditur, & si illi prosperè non succedat, metamquè non attingat, laus tamen aliqua ei debetur? non ne honor habendus? Dicere igitur statuens, te etiam, atque etiam rogo, vt non me, sed vniuersum hunc populum loqui putes, qui vnà hoc tempore præclaro aspectu tuo perfruens, primùm supremo illi omnium rerum opifici quàm maximas agit gratias deinde tibi. O quantas tibi? Non quantas Florentia capit, sed quātas tu Serenissima Archidux. Tuus est enim ob incredibilem humanitatem tuā populus iste nunc, tu quoque ob singularem erga te obseruantiam illius esse debes. Ita me Deus amet, Princeps magna (tuorum Florentinorum nomine loquor videlicet quod sentiunt) nihil charius esse potuit illis hodie, de hoc sanctissimo connubio optimè sperantibus, tuo optatissimo aduentu, tua præsentia, quæ satis splendore prefulget. Cognoscunt enim in te non humanam, sed potius diuinam virtutem. Agnoscūt totam illam Boemiæ, & Vngariæ Reginam natam amitam tuam, omni muliebri laude præter cæteras ornatissimam, omnium fœminarum sanctissimam Ferdinandi Imperatoris suauissimam filiam, & Frncisco Mediceo immortalis Cosmi Filio, quibus plus famæ consecutus nemo fuit, in matrimoniū collocatam. Phænicem in Phænice vident, in radio lumen.

Tu enim sanctissima Ioanna, cùm olim à Deo Opt. Max. ad regendum hunc populum vnà cum magno Francisco tuo dilectissimo viro missa fuisti, cùm inter Deos relata, ex alta ista cælesti specula nos mortales tibi deditissimos conspicis, meque de huius lectissimæ fæminæ heroicis, immo diuinis virtutibus, non pro illarum dignitate, sed pro meo tenuissimo captu, & modulo coram his clarissimis viris nobilitate, religione, humanitate, ac præstantia præditis verba facientem audis, ignosce quæso, & obsecro: si minus quàm deceat, sublimem earundem excellentiam extulero. Tu Ioanna, affectus omnes abiecisti, atquè multùm profecisti. Tu omni tempore clara extitisti, quæ optimè institutam, optimè temperatã, optimèq; moratã hãc florulentã ciuitatẽ vnis legibus vnis temperationibus multos annos ab omni bello, & dissensione incolumem, atque intactam conseruasti. Iustitia semper tibi cordi fuit. Piè religiosèquè vixisti. Amicitias Principum dandis, & non accipiendis beneficiis parasti, optimasque artes, optimarumquè artium opifices, quod incomparabili gloriæ excessit, illustrasti; idcirco omni laude, ò maximè celebris, Florentiam rerum benegestarum gloria refersisti, & totam istam Thuscam ditionem tuam ex splendida splendidissimam reddidisti. Hæ sunt Imperatoriæ laudes, ac virtutes omnes, quæ te Reginam optimam è cælo delapsam, vt paulò ante memoraui, inter cælites reuocarunt, famamquè tuam immortalitati consecratam inter sydera tulerunt.

Ioanna ergò, quæ maxima huius ciuitatis iactura olim ex hac vita migrauit, alteram summam Ducem nobis dedit, Christernam Lotharingiam scilicet, Vrbis & Orbis fulgens Hesper, cuius virtute, animi magnitudine, ac vitæ probitate nihil est nobilius; ipsa enim duce Deo vtitur, & iam iam, hac superstite, quam Deus multos seruet in annos, alteram tali tantaquè amita dignam nobis tradit, vt magnum, & triste illud desiderium, quod in cælum reuertens Princeps illa magna vniuersæ Hetrutiæ, & præcipuè huic eminenti ciuitati reliquit sui, leniretur omnino, Mariam Magdalenam videlicet; de huius modò bona indole, de huius præcoci ingenio,

de què

deque huius optimis moribus eam spem concipiunt omnes, vt Mariam Magdalenam non modò Ioannam æquaturam, sed & longo interuallo superaturam sperent, Ioannæ què gloriam obscuraturam, modò id sit obscurare, & non potius illustrare, virtute virtutem vincere. Ecce Viri clarissimi, nouus iam sol nobis affulget. O fortunatam, ò felicem, ò beatam ciuitatem, quæ hanc sibi custodem, & dominam habitura est. Illuxit iam ex Austriaca familia foris non solum Margarita suauitate, & elegantia summa, sed Ioanna Christianæ religionis lumen, quarum fama nunquàm consenescet; nunc verò tu, magna Princeps, multis quotidie modis ad Florentinorum gloriam. Sermones etenim tui sublimem quandam indicant mentem, diuina forsan illa Platonis saturatam; summum tuum quoque iudicium; acre ingenium, omni probitate, omni què regendi prudentia scatens, leporis elegantiam; in omni præterea re uenustatem, Christernæ lotharingiæ penè dixerim, omnibus (vt aiunt) numeris fæminæ absolutissimæ, cuius amplitudinem, & antiquitatem generis quid amplius? Nata enim est ex magno Carolo Lotharingiæ Duce claro, atq; singulari, & ex Claudia Valesia Henrici secundi francorum Regis, & Reginæ Catharinæ filia. At Christernæ præstantem Iustitiã, ac regias virtutes quarum copia magna, primo quoque tempore ad eam iam, ummirantibus omnibus, confluxit [illegible], si omnes exponere vellem, prius mihi dies, quàm dicendi copia deficeret, sat. n. est dicere, quòd Lotharingia hęc virtutibus Orbem illustrat, quò factum est, vt omniũ oculi in ipsa conijciantur assiduè; atque ita, ò præclarissima sponsa, iudicant omnes, te fore multùm ad mores, multùm ad naturam, ad tàm què grandis socrus ingenium multùm accomodatam, nec vnquã voluntatis, vel animi dissensionem, sed mutuum amorem fore inter vos, nihil què à vobis vnquam agi debere simul non aptè, non lepidè, non eleganter non venustè, & aureum quoquè sapientiæ vestræ flumen cum summa probitate inter vos perseueranter certaturum, vt vtra utrum excesserit, au utrum ab utra excessum fuerit intelligere non licebit. Inest etiam uobis quædam dicendi facultas miro artificio constructa, uerùm vulgaribus hominibus pro uestri ingenij magnitudine ferè abscõ-

dita, clara tamen, ac perspicua eruditis, ac longè doctis viris. Dicerem pro tuo merito plura, Serenissima Archidux, verùm pro tua laudatione nil habeo, nisi beneuolentiam erga te recensere horum quinque præstantissimorum virorum inter eos cardines à Sanctissimo Pontifice relatorum, super quos Christianę religionis postes vertuntur, nunc simul sponsalem diem tuum, aliosque plures fulgenti cōspectu co honestantium; magni itidem Ferdinandi florentissimi Thusciæ regni (paruo negocio dici potest) Imperatoris, & Christernæ eius coniugis eximiæ fæminæ, & tandem tantorum Procerum (quos omnes honoris causa nomino), inquibus omnibus, & in hoc innumerabili cætu clarè patet, quàm cuncti de te bene sentiant. Adamant enim hi Sanctissimi Præsules, ac strenui Principes tuorū operum copiam, verborumquè parsimoniam, cuius sermones similes semper legibus extant. Hinc propter omnia tua egregia facinora, propter tua in Ferdinandum Mediceum totius Italiæ decus, cui optata omnia contingunt, in Chisternam Lotharingiam, quæ tàm beata est, quàm qui maximè, in Cosmum tuum iucundissimum sponsum, cui nihil modò ad fælicitatem deest, in nos tandem omnes tui deditissimos promerita, pauimenta huius sacratissimæ, & augustissimæ aulæ, parietes huius aulæ, tecta huius aulæ, quæ nullo sensu prædita sunt, medius fidius, vt mihi videtur, tibi gratias agere gestiunt; & nos, qui viuimus, qui homines sumus, intelligentiæ radijs à diuina bonitate impartitè diuisa, & indiuisè partita illustrati, nulla te beneuolentia complectemur? nullo te honore afficiemus? nullis te obsequijs persequemur? minime id quidem, ne aut nostri beneficij immemores, aut tantorum meritorum obliti videamur; sed te heroico, atque augusto genere natam; Carolus enim Archidux Austriæ, & Maria Bauaria tibi parentes fuere, Imperator Maximilianus Patruus, Imperator Ferdinandus Auus, Imperator Carolus Quintus Patruus magnus, cui summo, prudentissimo, ac fortitissimo, Margaritam filiam, omni virtutum genere cumulatissimam Alexandro Mediceo Florentinorum Duci primo innumerabilium virtutum suarum studio incenso,

censo,

cenio, & ad huius Ciuitatis decus in vxorem dare valdè placuit; Rodulphus etiam Imperator, ad huc viuens, frater patruelis, Sigmundus Poloniæ Rex inuictissimus, & Philippus Hispaniarum, Indiarum què Rex potentissimus (quasi Mundi Monarca) ambo sororij, nec prætermittam te esse in matrimonium datam magno Thuscorum Principi, gratia, ingenio, & industria florenti, in quo quantus pudor, quanta probitas, quanta penè perfecta ratio, quanta tandem matura prudentia sit, minimè in hac ætate sperata, vt vix excogitari possit. Hic est enim Hetruriæ altera spes, de cuius prouidentia, quam faustam, ac fœlicem precor, non possumus non optimè sperare omnes. In hoc Maiorum virtutum adeò altè sunt fixæ radices, vt non minus vberes fructus, quàm ab ipsis edituræ sint. Hic est (inquam) adolescens ille tot sapientissimorum Principum, tot Illustrissimorum Cardinalium, tot summorum Pontificum, qui ex hac Serenissima prosapia, tanquàm ex equo Troiano, ortum duxerunt, charissimorumquè parentum gloria, & clarissimum quoddam lumen. Natus enim ad omnia videtur. Causas amoris in hoc magno Principe, ò Archidux spectatissima, plurimas, odij autem inuenies nullas. Humanitatis ergò expers prorsus homo est, qui illum amore non complectatur. Nec omittam Christianissimam Mariam Religionis, & Florentinæ gloriæ decus magno Francisco Cosmi tui patruo pro genitam. Hæc etiam est illa Maria Medicea fæmina lectissima, pudicitiæ, & castitatis laudibus clarissima Henrico Gallorum, & Nauarrorum Regi nupta, viro omnium virtute sapientia, potentia, ac gloria facilè principi. Es tandem, ò felicissima sponsa, Francisci, Caroli, ac Laurētij Medicum fratria. Hi sunt ad omnes virtutis decus spectatissimi, ac omnibus naturæ dotibus, doctri næquè præsidijs instructi; hinc suarum virtutum specimen dant minimè dubium; nihil enim faciunt non egregiè, quorum virtutis cursus extat planè ætate celerior; perspiciuntur autem in his talia, & tanta ingenij indicia, vt iam facile pateat, quales viri futuri sint. Sed te (inquam) augusto genere natam, propterea natura bonam, consuetudine optimam beneuolentia complectemur, te què summa virtute prædi-

ditam

ditam honore afficiemus immortali, & in ista alta specula constitutam obsequijs persequemur, tuoquè dicto audientes nunquam non erimus, præsertim quando ex eo tempore, quò pater annuerit, Cosmus tuus Thusciæ ditionis clauum gubernandum suscipiet, tantam etenim de tua singulari in rebus agendis prudentia (fama nuncia) de tua singulari morum comitate, de tua singulari doctrina, de tua singulari in omnes benè doctos, ac benè moratos homines, in istũ præsertim populum Florentinum beneuolentia expectationem concitaueris, vt breui sperandum sit, auream illam ætatem, te duce, redituram, qua nihil in terris expeti potest antiquius, nihil optatius, nihil què quòd ad diuinam perfectionem propius accedere videatur. Ne igitur, humanissima Archidux, almæ huius Ciuitatis rectam mentem, æquumquè animum despicias velim, cuius nomine quatuor assiduè tibi exopto gratias, mentis videlicet splendorem, voluntatis læticiam, corporis viriditatem, prolisquè optatissimæ fæcunditatem, addo & quòd vna sit mens, vnus sit animus tuus, & magni Cosmi tui; sicut enim matrimonio coniuncta corpora sunt, ita etiam indissolubili amoris copula nectantur animi, vt facilius populi omnes æqua lance gubernentur. Adspirant iam ex alto hæ tibi gratiæ, & tandiu fæliciter adspirabunt, quàmdiu gratis à Deo solùm optimo maximo gratias accepisse te agnoueris, à quo præcipuè ob vitæ tuæ probitatem, & morum honestatem, nec non ingenij præstantiàm ad Thusciæ curam selecta es, citiusquè ad maiora, quod Deus Princeps maximus faxit. Ego enim ipsemet tanquàm in speculo aspicio, te quoquè, & si nihil ambientem, immo istis de rebus nihil cogitantem, ad maiorem dignitatem, videlicet proximam Thusciæ Regiæ Maiestatis fastigio esse euehendam; quæ tuæ heroicæ virtutes, ac laudes, quæ te pergrandem, atquæ plæclaram mulierem è cælo demissam, postquàm ad hæc maiora, immo maxima, extulerint, in cælum reuocabunt, famamquè tuam nunquàm interituram excelsiori, sublimioriquè afferent loco. Hæc ne diutius differantur, ò Augustissima Sponsa, hunc populum tui deditissimum, vt tua prosequaris pietate, humanitatequè supplex

exoro,

exoro, qui vnanimis ergà te deuotionem continuò testabitur, cui ut faueas, ambitiosus à te non sum rogaturus, cùm semper omni studio cunctos amplexeris, ipse enim à te captus, atque delinitus, solitam humanitatem tuam audacter se experturum confidit. Id autem actionis, qualecunque sit, perpetuum meæ, Florentinorumquè ergà te obseruantiæ indubitatum pignus esse velim.

Dixi.